



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

2 Papa de jure divino succedit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**



VERBA breviter facturus de Potestate Papæ priusquam attingam alia, quas sum tractaturus, Omnipotentis Dei auxilio implorato, ut det mihi sapientiam de

Sede magnitudinis suæ, mecumque sit, & mecum laboret; aperiat os meum, & impleat illud spiritu sapientiæ, & intellectus; ut quod scripsero, coram ipso acceptum fit omni tempore, aliqua de Primatu Petri præmittere decrevi.

† Primatus Petri probatur auctoritate sacræ Scripturæ, Matthæus capit. 16 ubi, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Luc. cap. 22. ubi Dominus Petro, Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos, Jo. cap: ultim. Pasce oves meas, cap: quamvis, 21, distinct: & B. August. c. 1, de Baptism: lib: 2, ubi ait, Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcissione disceptaret, postmodum vindicavit sibi aliquid, &c. Et paulò post, ecce (inquit) ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis dicimus Petrum, in quo Primatus Apostolorum, tam excellenti gratia præeminet, eod: cap: 1, Origen: cap: 6, ad Roman: Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & super ipsum, velut super petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi caracteris, exigitur, S. Ambros. c. 12, Epist: 2, ad Corinth. inquit, Primatum non accepit Andreas, sed Petrus inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis

tolleretur occasio; sed, cur non Joannes electus est virgo? ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, & penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur, & B. Hieron. lib: 1, in Iovinianum, & sequuntur moderni, ut per Jansen. in concord: Evang: cap: 66, colum: 9, & 10, part: 3, diffusè Cassan: in Catal: glor: mun: part: 3, considerat: 30, & Card. Bellarmin: qui plures adducit auctoritates in 3, controvers: gener: tom: 1, de Roman: Pontif: cap: 25, lib: 1, Card: Jacob: in tract: de conc: lib: 2, artic: 2, numer: 62, tom: 3, & Joan: à Capist: de auctoritate Papæ in 3, part: 2, part: princip: numer: 3, eod: tom.

Papa eidem † Petro de jure divino succedit, & probatur verbis Joan: cap: ult: tim. Pasce oves meas, quia † officium Pastoris est officium ordinarium, & perpetuum, & ex natura rei tamdiu durare debet, quamdiu manet ovile, quod manebit usque ad consummationem seculi. Et cum Dominus, Petro, qui semper in carne non erat victurus, dicat, Pasce oves meas, & pasce agnos meos, Joan: c: 21, in ipso omnes successores suos est alloquutus, ut testatur Joan. Papa Epistod: inter claras in princip: C. de summ: Trin: & si: Cath: Bonifac: par: 8, in extravag: unam sanctam, 9, hanc autem, de major: & obed: Innocent: in cap: licet, ex suscept: num: 4, de for: comp: Abb: in quest: 1, incipien: Episcop: & quidam num: 1, Card: Jacob: in eodem tract: lib: 6, art: 4, num: 42, & hanc sententiam comprobant, S. August. super Ioan. relatus in cap. quoscunque, 24, quest: 1, & S. Joan. Chrysoft. lib: 2, de Sacerd: circa principium, ubi, Quanam, inquit, de causa ille sanguinem effudit suum? certè, ut pecudes